

THÈSE
POUR LE DOCTORAT





H.F.u.t. (1,5)
UNIVERSITAS GALLICA
Academia Parisiensis

LITTERARUM FACULTAS

DE MYSTICA
APULEII DOCTRINA

Charpentier (Jean-Pierre)

DISSERTATIO ACADEMICA

PARISIIS
M DCCC XXXIX

22.7944.

(2.3) 4.4.7.11

DE MYSTICA

APULEII DOCTRINA.

Mirum quod Apuleium prætermisit, cujus
solent multa et mira commemorari.

(LACTANT., *Divin. Institut.* lib. v, c. 3.)

I.

QUUM philosophica mde Apuleio dissertationem instituire destinaverim, vereor ne, prima fronte, haud satis operæ pretium fecisse videar, qui hominem, levioris in philosophiæ annalibus momenti, nullius saltem per se philosophici operis auctorem, sed tantummodo Platonis et Aristotelis, non dico imitatore, sed pedisequum; non translatorem, sed epitomatore, in lucem susceperim proferre. Attamen propius intuenti patebit, Apuleium, si non iis, quæ pauca et manca supersunt, licet multa scripserit, operibus; qua vixit saltem ætate, singulari quodam famæ et ingenii fato, non nullum lumen afferre posse, si quis animorum statum, exeunte secundo seculo, perquirere voluerit. Quanquam igitur gravem per se et divitem in Apuleio non habemus philosophum, vivam saltem reperire valemus ingeniorum, opinionum, atque adeo superstitionum quæ, tunc temporis, animos obsidebant,

imaginem; theologum nempe et Æsculapii pontificem, id est ethnicæ religionis, jam labantis, assertorem indefessum, et acerrimum christianismi surgentis hostem; hoc quoque nomine interrogandum, quod solus, si Tullium excipias, latinos inter scriptores, novam illam, aliqua ex parte, referat Platonis doctrinam, quæ tunc Alexandriæ, tanto splendore fulgebat: qua triplici sub facie, Apuleium ostendere, et quantum rhetor philosophum potero, dilucidare et explicare aggrediar.

II.

Omnis, si altius respexeris, philosophia, ex gemino fonte manavit, ionico scilicet atque italico, a Thale profecta aut a Pythagora, ab Ægypto sive Græcia¹. Per varias temporum regionumque vices jactata Pythagoræ secta, post multos clarosque labores, ferme evanuerat, a quibusdam tantum culta diligentius, et secretioribus quasi servata in adytis; per Archytam Tarentinum, per Timæum Locrensem, quibusdam discipulis clam potius commissa, quam tradita palam. Sed sopitos illius cineres exsuscitavit tandem aliquando novus ille non peritura jam philosophiæ parens,

1. D. AUGUST., *de Civit. Dei*, lib. VII, c. 3; EUSEB., *Præparat. evangel.* lib. XIV.

Plato; qui postquam Socratis fuisset discipulus, et primis, ut ita dicam, labris sapientiam attigisset, hanc e fontibus ipsis haurire maluit, quam sparsos illius rivos consectari. Ægyptum igitur, magnamque Græciam petiit¹; ibique Pythagoræ vestigiis insistens, ad meliora antiquam promovit doctrinam. Sed et ipse Plato, quam habuerat Pythagoras, fortunam expertus est. Mortuo nempe magistro illo et duce Academiae, in diversa quasi membra, quod in unum redegerat, abiit philosophiæ corpus; ita ut per varios veteris et novæ Academiae casus, innumeras per opiniones, verum Platonem multi quærerent, pauci interpretarentur. Platonem tandem rursus in solido locaverunt mentis humanæ vices; Platonem Tullius sermone expressit et ingenio, et clarissimam hanc facem rursus humano generi extulit.

III.

Sed alia erant, et quidem graviora, quæ divinam illam doctrinam in clariori luce ponerent, et excelsa, ut ita dicam specula, unde orbi luceret. Magnum enim nescio quid, et insolitum, tunc agibat mens humana, quod nova orbi, nova philosophiæ

1. CIC., *de Republica*, lib. II, c. 10. — Cf. *de Finibus bon. et mal.*; HIERONYM., *Contra Rufin.*, lib. III, c. 40; APUL., *de Dogmate Platonis*.

fata portenderet. Exorta erat in Oriente stella, quæ per Judæam decurrens, oculorum populos mox ad se converteret. Hinc occulta vi ad altiora instincti animi; hinc iterum a philosophia, ad theologiam; ab Epicuro, ad Platonem ire cœptum. Urbs fuit quæ fatalis novis hisce omnibus doctrinis sedes et quasi conventus videretur. Ea erat nempe Alexandria quæ Asiam inter et Europam posita, Indis propior, nec ita a Græcia distans, Orientem et Occidentem uno et facili vinculo copularet¹. Huc igitur confluxere omnes omnium temporum, regionum, religiones et doctrinæ; omnia quoque, si dicere fas est, Orientis monstra, somnia Chaldæorum, Ægyptiorum magicæ artes; omnia denique humani ingenii portenta, et pulcherrima litterarum et philosophiæ inventa: latrator Anubis, Christus et Plato. Sed non ille quem tulerat Græcia, simplex et nativus Plato, Socratis discipulus; Platonem quemdam finxerunt, non jam Græcum, sed Ægyptium, sed Orientalem; ex Zoroastre compositum et Mose; judæum, ut Philoni placet; christianum etiam, ut quibusdam Ecclesiæ Patribus²: quem omnes vario nomine sibi vindicabant; huc veritatis referentes originem; inde subreptam sacris codicibus veritatem repetentes³; ita ut in plurimas, et quidem

1. AMM. MARCELL., lib. XXII, c. 46.

2. CLEMENS ALEXANDR., *Stromat.* lib. I, c. 25; lib. VI, c. 2; ORIGENES, *Contra Celsum*, lib. VI.

3. TERTULL., *Apolog.* c. XLVII.

contrarias partes distractus Plato, ne se ipse quidem agnovisset, dimidius Christi, Zoroastris dimidius.

IV.

Hi erant primo et secundo seculo, Alexandriae, varii animorum motus; hæc religionis et philosophiæ certamina. Alexandriam tunc omnes, diversa licet mente, adibant; arma ibi instanti vel potius jam ferventi, paganismum inter et christianismum duello quærentes; quem, invisendi Asiam, morem et ipse secutus est Apuleius.

Natus, circa Antoninorum tempora, Madauræ, quæ erat Africæ urbs in confinio Numidiæ et Getuliæ, genere honesto, patre satis diti, ab ineunte ætate unis studiis litterarum deditus fuit Apuleius, diu noctuque, cum dispectu, ut ipse fert, et dispendio bonæ valetudinis¹. Primo litterarum studia Carthagine inchoaverat, in urbe liberalibus studiis tunc florentissima. Romam postea, deinde Athenas petivit: illic leges discendi studio; hic, philosophiam. Asiam quoque minorem adiit, unde reversus, Romæ aliquantisper remansit, ubi sacris initiari studuit; post in patriam redux, Madauræ magistratus et honores gessit²; non tamen litterarum et philosophiæ

1. In *Apologia*, p. 12, t. 14 *Apuleii* ed. a C.-L.-F. Panckoucke.

2. In *Apologia*. — Cf. D. AUGUST., ad *Marcellin. epist.* v.

oblitus, quam, ut penitus pernosceret, simul insitam ingenio visendi cupiditatem expleret, post susceptam in Græciam et minorem Asiam peregrinationem, Ægyptum petere, et commeare Alexandriam constituit. Sed adversantibus ventis a proposito deteritus, Oreamque rejectus, Alexandriam magis cupiit et præsensit, quam amplexus est. Sic tamen longa peregrinatione, diutinis studiis insitas ingenii dotes promovit Apuleius, et simul mentem mirandorum avidam in deterius flexit. Sacrorum pleraque initia participavit; multijuga sacra, plurimos ritus, varias cærimonias, studio veri et officio erga deos discens¹. Hinc duplex illius ingenium; hinc theologus et philosophus evasit. Spirat enim illius in scriptis, quæ tum Alexandriæ flabat, aura philosophiæ; Platonem non solum refert; Alexandrinorum imprimis ubique novas et audaces superstitiones, et mysticas doctrinas redolet. Non enim, eo nomine, platonicos inter Apuleium reposuisse velim, quod quædam Platonis dogmata in latinum vertens, Platonem coarctaverit et adultaverit magis, quam expresserit; immensam illam sententiarum rationumque seriem, mirum in ordinem dispositam, permiscens; sed quod simplici et veræ Platonis doctrinæ novam et adventitiam superaddiderit doctrinam, ex Alexandrinis illis depromptam officinis. Non igitur omnem quam ex Platone expressit vel transtulit doctrinam

1. *Metamorphos.* lib. 1, 111; *Apolog.*; D. AUGUST., *de Civit. Dei*, lib. VIII; *Epist. ad Marcellin.* v.

Apuleius, comprehendere et explicare mihi propositum; sed ex illo tantum excerpere quæ, a prima Platonis sententia, aliena, aliam manum produnt, alia tempora, diversosque prorsus animorum habitus.

V.

Ex multis quæ Platonis doctrinæ addidit vel prorsus novavit Alexandrinorum mens, nihil sane mirabilius, quam quæ de dæmonibus prodidere. Qui sunt, apud Platonem, dæmones? nempe dii deorum¹, hominibus præstantiores et iis præpositi²; inter deos hominesque constituti intercessores³; vaticinio sacrificiisque diligenti cura invigilantes⁴. Quas antiquas dæmonum imagines aliter interpretati sunt, et in immensum protulere alexandrini philosophi. Dæmonibus suos mores, sedem, diversa et certa ministeria, ordines, gradus affinxerunt⁵; non jam Platonem sequentes, sed Zoroastrem; non Græciam, sed Ægyptum; non philosophiæ amplius studentes, sed theurgiæ. Hanc

1. *TIMEUS*, edente Marsil. Ficin., p. 580.

2. *De Legibus*, lib. iv.

3. *Epinomis*, edente Marsil. Ficin., p. 749.

4. *Convivium*, edente Marsil. Ficin., p. 349.

5. *MAXIMUS TYRIUS*, *Dissert.* xxvi, xxvii; *PLUTARCH.*, *de Deo Socratis*.

novam de dæmonibus doctrinam amplexus, nova et peculiaria addidit Apuleius, a Platone abhorrentia, vel aliena; iis nempe corpus denegat; æternitatem donat¹; quum Plato de affectibus sileat, et incorporales periturosque existimet². Illos animo passivos declarat³, quod maxime Alexandrinorum est; omnem denique, Platoni suas adstruens opiniones, Chaldæorum de geniis doctrinam ingerit. Quod si, novis illis dæmonum ordinibus officiisque rationem quæsiveris, insitum primo invenies apuleiano ingenio mirabilium amorem; sed et alteram, peculiarem hisce temporibus causam, novam scilicet religionem oppugnandi, vel æmulandi cupiditatem, et superstitionibus, quæ animos tenebant, satisfaciendi. Circa dæmonas enim præcipua versatur, ethnicos inter et christianos scriptores⁴, disceptatio. Hinc Augustinus Apuleium vehementissime reprehendit. Dæmonum quos effinxit, ambiguum carpens naturam; indolem passivam; malos mores, et ad mala homines impellentes⁵; illis denegans certa, Deum inter et homines, commercia;

1. Quos deos Plato naturas incorporeales, animales, neque fine ullo, neque exordio, sed prorsus ac retro æviternas. (*De Deo Socratis*.)

2. TIMEUS, *Epinomis*, p. 749.

3. Dæmones sunt genere animalia, ingenio rationabilia, animo passiva, corpore aëria, tempore æterna. (*De Deo Socratis*.)

4. TERTULL., *Apolog.* c. XXII. — Cf. ORIGENES, *Contra Celsum*, lib. VIII; THEODOR., *de Græcanicis affectibus*, lib. III.

5. *De Civit. Dei*, lib. VIII, c. 14, 15, 16; lib. IX, c. 2, 3, 7, 9, 13, etc.

justa plerumque reprehendens, nisi quod, sive inconsulto sive de industria, verbo ipsi dæmonis offendens, malos tantum dæmonas¹ esse velit, quum vox ipsa græca in utramque partem sonet.

VI.

Hæc peculiaris et mystica Apuleii de dæmonibus doctrina; sic a philosopho ad theologum transimus, quem mox excipiet Æsculapii pontifex. Quem ubi inveniemus? ubi, primo adspectu, aut quæri, aut reperiri minime, aut posse aut deberi videatur; in famoso scilicet illo qui, *Asini aurei* nomine dicitur, libro. Scio quam absonum videri possit, theologum, imo sacerdotem, ibi quærere, ubi ne homo quidem sit quærendus. Sed non ego primus aliquid serii, in fabulis illis milesianis latere, sum suspicatus; non nulli ante me, et quidem gravissimi auctores, mysticam doctrinam istis involucris tegi putaverunt². Sed quod illi mente tantum divinarunt, vel strictim attigere, novis confirmare argumentis aggrediar; haud parvum, ni fallor, probandæ rei momentum allaturus, si compositis, ex ipsius Apuleii operibus, testimoniis, vincam

1. Sive dæmonas, sive dæmonia dicuntur, non nisi maligni significantur spiritus. (Lib. ix, c. 19.)

2. BEROALD., BOSSCHA, BAYLE, etc.

1° Apuleium reipsa, sub Lucii persona, latere; 2° antiquum esse philosophis morem vera falsis involvere; 3° undecimum hunc et luculentissimum *Metamorphoseon* librum, quo potissimum mystica includitur doctrina, pluribus, occultis licet, vinculis, præcedentibus voluminibus adhærere; 4° Si demum, quæ sit ultimi illius libri ratio, et quo tendat, explanaverim.

VII.

Apuleium, sub Lucii persona, non finxisse, sed judicavisse, manifestum fiet, si quæ de se proficitur Lucius in *Metamorphosis*, eadem in *Apologia* sua, confitentem audiverimus Apuleium. Jam Apuleium cognovimus; Lucium ergo interrogemus: sititorem alioquin novitatis; ad magicæ artis semper optatum nomen, ultro gestientem et prorsus in ipsum barathrum saltu concito præcipitantem, festinantem denique et vecordem animi¹. Hæc Lucius. Quid Apuleius? num dissimilia his? imo vero: « Magicam artem, esse diis immortalibus acceptam; colendi eos ac venerandi pergnaram; piam scilicet et divinisentem². » Quid illa, tertio libro,

1. *Metamorphoseon* lib. I.

2. *Apologia*. — Cf. JAMBELICHUM, *de Mysteriis*; D. AUGUST., *de Civit. Dei*, lib. XI, c. 3.

ægyptii sacerdotis oratio, tam similis precibus quas, undecimo libro, initiandus fundit Apuleius? Quod si hæc ad Apuleii doctrinas, non ad personam; ad theologum, non ad hominem pertinere tibi videantur, en quæ ipsi Apuleio propria, in *Metamorphosis* relata, cum quibusdam *Apologiæ* factis mirum in modum congruant. Scilicet bis, in *Asino aureo*, magiæ crimini, quod illi fuit illatum, alludit¹; bis commemorat quomodo peregrinans, quæsticulo forensi, vitam sustentaverit²; ne omnia referam, quæ ad Apuleium solum, licet Lucii sub nomine, spectare possunt.

Nec illa me deterreant, quæ objici solent: *Metamorphoseon* scilicet res varias ex Lucio Patrensi, multisque aliis, non ex ipso depromptas Apuleio; non itaque suo ingenio auctorem indulsisse, sed alieno lusisse imitatore. Quæ ut sint, contra mihi, quam quod videtur, colligendum putarem; nec ulla alia re magis pateret aliquid sibi, gravioris momenti proposuisse Apuleium, quam quod, in eadem materia, diversa adeo inseruerit, ita ut, ubi Lucius tantummodo sit quærendus, Apuleius plerumqueprehendatur. Nec me deciperet quod, operis initio, Lucius latini sermonis rudem se pronuntiet, solita scribentibus vanitate, amantibus lectorem plerumque falsa sub imagine a vero auctore abstrahere, et aliena pelle latere. Propius et alias in-

1. Lib. I, II.

2. Lib. XI.

tuere; Apuleium mox apprehendes, tabulæ, quam absolverit, nomen, non in clariori quidem luce, sed obscura quadam in parte, pictorum more, imponentem, quum sibi, per patrocinia sermonis romani, victum liberio rem subministratum fatebitur; quod Apuleio, dum Romæ remaneret juvenis adhuc, contigisse scimus. Quid? quod, ut optime adnotat Beroaldus¹, quod Lucianus uno tantum volumine amplexus est, id Apuleius membratim digresserit, plurimisque voluminibus latissime evagatus explicuerit, ne interpret alieni operis, sed conditor novæ historiæ videretur.

VIII.

Hæc quum, ex omni parte, inter se consentiant; quum Lucium et Apuleium unum et eundem esse pro comperto habeamus, rem ad liquidum perduxerimus, si refutatis quæ vulgo jactantur: non bene convenire, metamorphoseon vel insulas vel deridendas historias, aut obscenas non nunquam, cum hoc, quem sibi proposuerit Apuleius, morum vel religionis instaurandorum fine; ostenderimus antiquum esse philosophis morem vera falsis, et aliquando portentosis, involvere; et Apuleium ip-

1. *Argument.* lib. vii.

sum, quid sibi per istas ambages voluerit, habuerimus confitentem.

IX.

Omnis philosophia in templis nata est, et adulta. Hic diu, sacris in penetralibus servata, postquam tandem ad profanum vulgus pervenit, ne tunc quidem se omnino tractandam præbuit, sed paucis famulis sociam se addixit. Primos philosophos, theologos nuncupavit Græcia¹; et quum etiam e templis, annis volventibus, et progredientibus disciplinis, excessisset philosophia, in mysteriis aliquam veteris habitus, et secreti partem retinuit². Nihil igitur mirum si, quum talibus sepibus muneretur veritas, ad vela et ambages confugerit philosophia³; si illa præsertim apuleiana mens, magica-

1. LACT. Vetustissimi Græciæ scriptores, quos illi θεολόγους nuncupant. (*De Ira Dei*, c. x.)—Οἱ παλαιοὶ θεολόγοι. (CLEMENS ALEXANDR., *Stromat.* lib. II.)

2. CLEMENS ALEXANDR., *Stromat.* lib. v, c. 4, 5 et sqq.

3. Πυθαγόρας ὁ τὰ δόγματα διὰ συμβόλων μυστικῶν ἐκθέμενος. (JUSTIN., *Παραν.* p. 18.)

Sic ipsa mysteria figurarum cuniculis operiuntur; ne vel hæc adeptis nuda talium rerum se natura præbeat; sed summatibus tantum viris sapientia interprete, veri arcani consciis, contenti sint reliqui ad venerationem, figuris defendentibus a vilitate rerum. (MACROB., lib. I, c. 2.)

Neque enim quod scriptum est, atque in prima est positum

rum rerum avida, sic luserit; et magna levibus, et absonis nonnunquam miscuerit. Nec quam parvi momenti fabula est, tam tenue existimaveris propositum, et singularem hanc imaginandi vim. Nonne hoc etiam aliis temporibus, ingeniis, moribus solitum? Quid sibi volunt illa quæ, inferas sedes ingredienti florentino vati, occurrunt tria animalia: leo, panthera, lupa, nisi totidem vitiorum imagines adsint? quid altera parte significat Beatrix illa? quid multa alia ejusdem carminis symbola? quid de epica illa mediæ ævi *de Rosa* fabula, et quibus circumvenitur objicibus superandis intelligendum, nisi mentem quamdam seriam levibus hisce subesse tegumentis? Philosophis igitur, sicut poetis, fuit semper potestas æqua, si quid velint, vel ad seria, vel ad ludum fingere.

X.

Quum nihil igitur sit in hujuscemodi opere, quod ab antiquis philosophorum consuetudinibus abhorreat; nihil quod ne nostris quidem sit acceptum, quis dubitare possit, cognita jam Apuleii in-

verborum fronte, id significatur et dicitur; sed allegoricis sensibus et subditivis intelliguntur omnia ista secretis. (ARNOB., *Adv. gentes*, lib. v, c. 32.) Cf. CELIUS RHODIGINUS, *Antiq. lect.*, lib. II.

dole, hanc ipsi mentem fuisse ut, levioribus involucris, male congruentibus aliquando, secreti honorem et philosophiæ tegetet; illum, per varios casus, per tot rerum miracula, ad certum aliquem et utilem finem¹ contendisse, quem ipse, undecimi libri initio, patefacit, quum per latrones, per feras, per servitium, per asperrimorum itinerum ambages reciprocas, per motus mortis quotidianæ, ad lucem emergeret, in tutelam deorum receptus; quemadmodum in mysteriis, per diversos gradus, per dura rudimenta, ex nocte ad lucem, ex luce ad æterna piorum gaudia, surgebant initiati².

XI.

Apuleium Lucio non dissimilem; ipsas fabulas antiquo philosophorum more et tenore ductas,

1. Ego Apuleium equidem nostrum confirmo Lucianum argumento simili imitari; verum sub hoc transmutationis involucro, naturam mortalium et mores humanos quasi transeunter designare, ut admoneremur ex hominibus asinos fieri, quando, voluptatibus belluinis immersi, asinali stoliditate brutescimus. Rursus ex asino in hominem reformatio significat, calcatis voluptatibus, exutisque corporalibus deliciis rationem respiscere, et hominem interiorem, qui verus est homo, ad lucidum habitaculum, virtute et religione ducibus remigrasse. (BEROALDUS, *Scriptoris intentio atque consilium*.) Cf. MACROB., *Somnii Scipionis* lib. 11, c. 12; DANTEM, *Convito*, lib. 11, c. 8.

2. WARBURTON, *ad Æneidos* lib. VI.

pro nostris viribus, ostendere sumus conati. Superest ut undecimum hunc et præcipuum perpendamus librum, quo omnis spectat operis ratio; hoc necessarium præfati, si, quemadmodum et Apuleium, et rem gravem, prioribus in libris contineri probare fuimus aggressi, hoc quoque confirmaverimus, ultimum hunc librum, ab aliis non ita sejunctum et abruptum esse, ut non imo medium, non medium consonet. Unum plura proferre valenti sufficiet: aurea scilicet illa Psyches fabula quæ, medio velut in opere posita, altissimas arcanæ doctrinæ ambages continet. Non hic nobis mens est referre omnes, in quos detorsa sit illa fabula, sensus; perpendere quatenus, ut quibusdam placet, cupiditatum in animos impetus exprimat¹; quomodo conjugii fidem vel servare doceat, vel ulciscatur infractam²; num tribus Psyches sororibus, tres animæ, mystica veterum doctrina receptæ, adumbrentur³; an iisdem denique, carnis, libertatis et animæ consortium, vel potius certamen effingatur⁴; hoc unum monuisse velim, antiquum profecto et altiore, hac sub fabula, sensum latere, quæ ab Oriente profecta⁵, si non omnino,

1. MONTFAUCON, *Antiquités expliquées*, t. II, p. 191. — Cf. *Symboliq.* de Creuzer, traduit par M. Guigniaut, t. III, p. 400 et suiv.

2. THORLACIUS.

3. *Biograph. univ. mytholog.*, c. LV.

4. FULGENTIUS PLACIADIS, *loco cit.*

5. La fable de *Psyché* n'est pas de l'invention d'Apulée; mais,

qualis fuerit ab incœpto, talis usque processerit; si malignis intercepta nubibus, dubiam tantum emittat lucem, vividis tamen adeo, etiam nunc, radiis mentem percellit, ut doctissimorum ingenia detinuerit. Quis enim sub Psyche's persona animam significari possit dubitare, invidiæ, malis omnibus, quando corpore contineatur, obnoxiam; sed puram utique, et ad supera, exuto corpore, revolantem? Quid sibi vult puella illa, deo fœta? quid, quum circumfusam nubem depellere gestiens, et ignota propius intueri et investigare, omnis illi evanescat felicitas? Hic plurima altissimæ et antiquissimæ, deformata licet, philosophiæ vestigia deprehendere fas est. Inde igitur, quod præcipue nobis notandum est, colligere datur, Apuleium, etsi aliquoties per leviores, et absonas, et abhorrentes, vel quæ abhorrere videantur a scopo, fabulas lasciviat, nunquam tamen a proposito penitus evagari, et, medio in opere, hanc, quasi interposuisse de Psyche narrationem, quæ nos oblitos admoneret illum talibus tegumentis secreti honorem significare, non erroris. Quid? quod magna hujusce fabulæ pars ad Proserpinam spectet, cui potissimum undecimus liber addictus est.

par la manière dont il la traita, elle devint sienne. — Quia hæc saturantius duorum continentia librorum enarraverit. (FULGENTIUS PLACIADÆ, *Mytholog.* lib. III, c. 6.) Cf. *Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, t. XXXIV, *Hist.*, p. 49.

XII.

Quam fuerit priorum voluminum, liberiori licet sub specie, mens seria; quantum omnes libri ad undecimum hunc librum, eumdenque finem tendant, ex ipsius Apuleii testimonio, et toto operis contextu compertum habemus; si quid tamen adhuc dubii superesse possit, hoc ipsum refelleret sola undecimi illius libri explanatio, quo omnis Apuleii doctrina, vel ex philosophorum scholis¹, vel ex adytis templorum collecta², diversos apud populos, Græcia scilicet et Asia, tota confluit. Hæc igitur adeamus, una cum Apuleio jam, et non Lucio, Proserpinæ limina; videamus, quid sibi velit hæc omnis mysteriorum descriptio, omnis sacrorum disciplina.

XIII.

Pythagoram diutius quam Platonem deseruerat fortuna; sed et ipse aliquando redivivus, et novo,

1. Ista vero eruditioribus principalis hujusce transmutationis causa valdeque probabilis videri potest, et ut sub hoc mystico prætextu noster pythagoricæ platoniceque philosophiæ consultissimus, dogmata utriusque doctoris ostenderet. (BEROALDUS.)

2. Hic vero undecimus liber inter omnes excellit, in quo dicuntur quædam simpliciter, multa ex ficta historia, plurima ex secretariis philosophiæ et religionis ægyptiæ deprompta. (BEROALDI *Argument.*)

ut primum, Platoni, vinculo junctus¹. Pythagoram prior secutus erat Tyaneus ille Apollonius, Apuleio prævius; magno quoque in Pythagoram amore accendebatur Apuleius². Nec mirum; hic enim erat Pythagoras, quem facillime ad omnia, utpote ignotum, vel male notum, et fama tantum superstitem, detorquerent³; siquidem ille sic deformatus, inexplabilem, quæ tunc animos urebat, mirabilium sitim restringere valeret. Verum philosophia, ne sic quidem ad thaumaturgiam vergens, mentibus ad vasta et incredibilia raptis sufficebat. Majus aliquid et portento simile avebat inquieta, ut tunc erat, et male sana hominum mens, vanis agitata imaginibus. Ægyptiaca, chaldaica, mithriaca præsertim sacra⁴, omnis Orientis monstra, diu procul a Roma exterminata, Romam tandem possidebant. Tunc præcipue vigeabant Isidis et Osiridis sacra⁵. Hisce juvenis adhuc initiari voluit Apuleius, ut insitam novitatis et sacrorum sitim expleret. Sed non ea solum mente, qua sacra plurima participavit, descriptam sacrorum pompam ethnicorum oculis exhibuit. Aliquid majus et altius sibi proponebat;

1. Porro noster Plato, nihil ab hac secta vel paululum devius, pythagorissat in plurimis. (*Florid.* lib. 11, c. 15.)

2. *Florid.* lib. 11, c. 15; *de Deo Socratis*.

3. SEXT. EMPIRICUS, *Adv. Mathem.*, x, 248; PORPHYR., *Vita Pythagoræ*, § 32.

4. TERTULL., *Præscript.* c. xl.

5. PLUTARCH., *de Iside et Osiride*.

scilicet hoc, ante omnia, studebat, ut novam religionem, christianam videlicet, occulta doctrina impugnaret¹, et labantem mysteriorum fidem restitueret². Hic jam non theologum, sed pastophorum habemus. Hac ultima igitur sub specie, gravissima quidem, considerandus nobis restat Apuleius.

XIV.

Quum magis magisque in dies ex hominum animis abiret deorum timor, templis reverentia, et jam excessuri essent dei, novum quoddam quærendum fuit ac singulare, quo nutantes doctorum animi, incuriosa vulgi mens, exsuscitarentur vel retinerentur. Non enim propioribus tantum, occultis licet quassata viribus, sed suis etiam vitiis, suorumque incuria gentilis corruebat religio. Antoninorum tempore, jam magnam orbis partem habebat Christus³; jam se peti in ipsis templorum adytis, in ipso potentiæ sinu, intelligebant deorum antitistes, Christum si non videntes, sentientes saltem. Hi igitur debitam diis imperii magnitudi-

1. Quantum ex ejus cognoscitur *Metamorphosis*, erat is ex eorum genere qui religionem populorum, invita licet ac reluctantante veritate, ad philosophiæ, quam probabant, præcepta studabant accommodare. (JOANN. PRICEI *Commentar.*)

2. BOSSCHA, *Præfatio* t. III.

3. TERTULL., *Adv. Judæos*, c. VII.

nem vindicantes, exitialem romanæ gloriæ pestem amovere tentabant, pro focis arisque pugnantes. Alii igitur antiqua senatus imperatorumque, externas adversus cærimonias, decreta reposcebant; alii, cauti magis, novæ religioni novas superstitiones, novos ritus opponebant, desuetamque sacrorum pompam populo ostentabant, et vacua vero Deo templa, falsis et recentibus implebant vel numinibus vel monstris. Quos inter præcipuus fuit Apuleius, qui ethnicorum sacra christianorum sacris, precibus preces, et, si dicere fas est, aras aris, se denique Christo opponeret. Undecimum enim *Metamorphoseon* librum attentis inspicienti oculis, nonne omnis gentilium cærimoniarum ordo apparebit? mulieres candido splendentes amicine; lætissimæ juventutis veste nivea et cataclista præcinctus chorus; antistites sacrorum, candido linteamine cinctum pectoralem, ad usque vestigia, strictim inserti; nonne denique dei pedibus humanis dignati accedere¹. Quid de isto pastophoro, qui de sublimi suggestu, de libro, de litteris, fausta vota precatur? quid, quum initiandus lavacro traditur²; quum, raso capite, in collegium pastophororum adlegitur? quid duodecim stolæ³? quid tandem de celebratissimis illis

1. Sic et apud nos homines incedunt in pompa sacrorum. (BEROALDUS.)

2. Βάπτισον σεαυτὸν εἰς θάλασσαν. (PLUTARCH., Περὶ δεισιδαιμ., l. VI, p. 633, Reiske.)

3. Attende hic stolas accipi pro vestibus sacerdotalibus, sicut hodie stolas induunt nostri sacerdotes, quod et orarium vocant.

vocibus λαοῖς ἄφροσις¹? nonne hæc omnis sacrorum descriptio, lineæ vestes, vertigines in altari, pompa sacrificialis, musica modulamina, adorationes, vota, preces, dies ipsa initiationis, moræ præludia, sacrificiorum hora², lucis salutationes, aliaque id genus compluria, ad alios quam ad ethnicos spectant?

XV.

Non ea sola Apuleio mens erat, ut explicito magnifico gentilium cærimoniarum apparatu, vulgi oculos percelleret; doctorum etiam animos movere et allicere sibi propositum habebat ipsa mysteriorum descriptione, quæ evulgata nondum, magnam in paganos vim retinebant, ipso silentio, et secreti fide

(BEROALDUS.) — Le nombre des douze robes que devait successivement revêtir l'initié, faisait allusion aux douze signes du zodiaque, parce que le culte du soleil était mêlé avec celui d'Isis. C'est par la même raison que les feuilles de la couronne représentaient des rayons. La tunique était ornée de figures d'animaux, c'est-à-dire d'hiéroglyphes : cette tunique était nommée *olympiaca*, sans doute parce qu'elle était en usage dans les cérémonies de Jupiter Olympien. (*Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, t. xxxiv, p. 56.)

1. Verba sunt quæ Græci nostrique juxta usurpant, post cuncta celebrata mysteria. (BEROALDUS.) Cf. DION. CHRYSOST. *Orat.* xii.

2. Primam horam. (APULEIUS.) — Sic et nostri sacerdotes, primam, tertiam, sextam, nonam, horas habent sacrificiis legitimis et deputatas. (BEROALDUS.) Cf. CLEM. ALEXANDR., *Stromat.* lib. vii, c. 6.

tuta et venerabilia¹. Sed quid hisce suberat mysteriis, jurisjurandi religione et tantarum metu pœnarum obsignatis? disciplinamne aliquam meliorem et altiore servabant? de his ambigua, apud antiquos et recentiores, opinio. Si Patribus Ecclesiæ credas, nihil erat quod sic silentii fide obstringi deberet; inania tantum verba, et deridicula plerumque, pro rebus usurpabant, decipientes et decepti²; non alia erat initiatis, quam vulgo doctrina, si recentissimo mysteriorum investigatori credideris³. Apud ethnicos contra auctores, et gravissimos quidem, multa erat, vetus et altior mysteriorum doctrina. Hic altissima de deo, de homine, de anima, de vita futura præcepta⁴ per initiatorum manus quasi tradita, ab ipsa mundi origine veritatem integram

1. T. LIVIUS, lib. XXXI, c. 13; SUIDAS, voce Μυστήρια. — Τελευταί μυστήρια ἐκλήθησαν παρὰ τὸ ἀκούοντας μύειν τὸ στόμα, καὶ μηδενὶ ταῦτα ἐξηγεῖσθαι.

2. Nec nobis nescio quos susurros paucissimorum auribus anhelatos et arcana velut religione jactent. (D. AUGUST., *de Civit. Dei*, lib. v, c. 4.) Cf. *de Civit. Dei*, lib. vii, c. 20, 21; LACTANT., *Divin. Instit.* lib. iv, c. 3; CYPRIAN., *de Idolor. vanitate*; ARNOB., lib. iv, v; FIRMICUS MATERNUS, *de Errore profanarum religionum*, p. 36. — De tympano manducavi, de cymbalo bibi, et religionis sacra perdidici. (EUSEB., *Præparat. evang.* lib. iii, c. 4.)

3. LOBECK, *Aglaopham.*, p. 43.

4. Γίνεσθαι φάσι καὶ εὐσεβεστέρους, καὶ δικαιοτέρους, καὶ κατὰ πᾶν βελτίονας ἑαυτῶν τοὺς τῶν μυστηρίων κοινωνήσαντας. (DION., lib. v, c. 49.) Cf. STOBÉE, *Serm.* cclxxiv. — Reminiscere, quoniam es initiatus, quæ traduntur in mysteriis: tum denique, quam hoc late pateat, intelliges. (CIC., *Tusculan.* lib. i, c. 13.) Cf. *de Natura deorum*, lib. i, c. 42; *de Legibus*, lib. ii, c. 14.

perduxerant¹; ita quoque existimaverunt et apud recentiores locupletissimi testes, qui vetustissimam mysteriis doctrinam et altissimam contineri arbitrati sunt². Nos quidem difficile crediderimus illa mysteria, quibus, Tullii judicio, nihil melius inter tot divina Athenæ pepererant, nihil antiquitus magni et utilis continuisse; sed illa per temporis lapsum, per animorum incuriam, eo præsertim, quo vixit Apuleius, tempore, adulterata fuïsse existi-

1. Il n'en est pas moins vrai que, pures ou altérées, les idées fondamentales qu'elles expriment, remontent traditionnellement à la plus haute antiquité. (M. COUSIN, *Nouv. Frag.*, p. 274.) Le mythe, qui fait à peu près la moitié du *Phèdre*, est rempli de mystères. (M. COUSIN, *Fragm. philosoph.*, p. 169, 170; traduction de Platon, t. VI.)

2. Les mystères d'Éleusis, et en général tous les mystères, avaient un but plus grand, celui d'améliorer notre espèce, de perfectionner nos mœurs. La nature de l'âme humaine, son origine, sa destination, ses rapports avec toute la nature, tout cela fut l'objet des leçons que l'on donnait. (DUPUIS, t. IV, p. 369, 530.) — The initiated was admitted into the most recesses of the temple, and made acquainted with the first principles of religion, the knowledge of the God of nature, the first, the supreme, the intellectual. (P. KING, *Inquiry into the symb. ling.*) — Après avoir mis sous les yeux des initiés les représentations symboliques de la cosmogonie et de l'origine des choses, les migrations et les purifications de l'âme, l'origine et les progrès de l'agriculture et de la civilisation de la Grèce, on tirait de ces symboles et de ces scènes, dans les grands mystères, une instruction donnée seulement aux plus parfaits, et l'on confiait aux époptes les vérités de l'existence d'un Dieu unique et éternel, et la destination de l'univers et de l'homme en particulier. (SYLVESTRE DE SACY, *Note sur Sainte-Croix*, t. I, p. 448.) Cf. SAINTE-CROIX, t. I, p. 351; CREUZER, *Symbol.*, t. III, traduction de M. Guigniaut.

mamus; ita ut non jam antiquorum theologorum sapientiam, sed omnium, quæ Romæ confluerant, pudendorum vel deridendorum insaniam referrent, ægyptiacos præsertim furores et Chaldæorum inventa. Quid enim ex ista omnium religionum congerie, et quasi farragine superstitionum, quæ tum animos obsidebant, evadere poterat, nisi incerta admodum fides, et portentosa imagines? Labantia igitur mysteria apud doctos¹ occultiori scientia firmare, sicut apud imperitum vulgus cærimoniarum splendore tueri, aggressus est Apuleius; et quemadmodum christianorum sacris gentilibus sacra impugnaverat, sic doctrinam eorum antiquiori, ut credebat, sermone, et altioribus arcanis studebat vincere. Sed quoquo modo ingenium vertat noster; licet Pythagoræ, multis in locis, præcepta arcana² attingere studeat³; inania tantum captat, et in pantheismum abit⁴: hæc est enim, si qua fuit Apuleio, madaurensis philosophi fides.

1. Pythagoras disciplinam suis auditoribus ultimam tradebat jam doctis, jam perfectis, jam sapientibus, jam beatis. (D. AUGUST., *de Ordine*, lib. II, c. 26.)

2. JAMBlichus, *de Myster. Ægyptior.*, lib. I; CLEM. ALEXANDR., *Stromat.* lib. I.

3. *Florid.* lib. II, c. 15.

4. Quoquo nomine te fas est invocare, rerum naturæ parens, elementorum omnium domina, sæculorum progenies initialis. (Et passim lib. XI.) Cf. MACROB., *Saturn.* lib. III; SERVIUS, *ad Æneidos* lib. IV.

XVI.

Sic exteriori gentilium cærimoniarum fulgore, et occultioribus mysticæ sapientiæ vel doctrinis vel vanitatibus, suorum æqualium mentes perstringere, et nutantes animos confirmare studebat Apuleius. Nec ex aperto tantum, sed clam, et velut ex insidiis, christianorum religionem impugnabat pontifex Æsculapii, simul ac irridebat fabularum scriptor et philosophus. Alicubi Mosem inter magos ponit¹; alias omnibus, quæ tunc adversus christianos apud plebem jactabantur conviciis, et ipse illos exagitat. Sic nempe christianæ mulieris mores effingit: « Nec enim vel unum vitium nequissimæ illi feminæ deerat, sed omnia prorsus, ut in quamdam cœnosam latrinam, in ejus animum flagitia confluxerant: scæva, sæva, virosa, ebriosa, pervicax, pertinax: in rapinis turpibus avara, in sumptibus fœdis profusa: inimica fidei, hostis pudicitiae. Tunc spretis atque calcatis divinis numinibus in vicem certæ religionis, mentita sacrilega præsumptione dei, quem prædicaret unicum². » Quod si, ut quibusdam placet³, qui magiæ Apuleium accusavit Æmilianus, christianis adscribi debeat, quem tantis onerat opprobriis, concipi potest quomodo, ad publicam paganismi defensionem,

1. *Apologia*, p. 218, t. iv, *Apuleii* ed. a C.-L.-F. Panckoucke.

2. *Metamorphos.* lib. ix.

3. WARBURTON, *de div. Legat. Mos.*

et impugnationem christianismi, quæ tunc acriter pastophorum accendebat, privata valuerit hominis et philosophi injuria. Equidem sacrorum scriptorum probra in Apuleium interpretor facillime, quum sic philosophum, sic theologum, sic Æsculapii pontificem, ad unam eandemque rem, totis viribus, pertinaci studio, bonis malisque artibus, scientia, ingenio, eloquentia, magia, contendentem video, ethnica scilicet religionis instaurationem, christianæ vero insectationem, et, si daretur, excidium. Sic ferme eodem tempore quo, Africa in tellure, carthaginensi solo, Tertullianus deorum cultum revincebat, Apulius eos tuebatur acerrime, Apolloniiue Tyanei æmulus, non scriptis tantum¹ et exemplo novam lacessebat religionem, sed miraculis aggrediebatur, et ad magicas artes confugiebat degener Platonis discipulus.

XVII.

Non omnem nempe Apuleium habemus, theologum licet et pastophorum amplexi; magicum perpendere superest. Non in ultimis Apuleii facinoribus fuit illud, sive apud christianos, sive apud paganos, magiæ crimen, quo se apud iudices purgare coactus est², et ex quo, mea sententia, eloquentia

1. In Æsculapium dialogus et hymnus; oratio de majestatis Æsculapii. — Cf. *Florid.* lib. iv, c. 18.

2. Hujus autem philosophi platonici copiosissima et disertis-

magis quam innocentia tutus abiit¹. Cuilibet enim ipsam Apuleii *Apologiam* legenti attentius, et animo ab ira aut gratia vacuo, patebit eum, si non in iis quæ ad Pudentillam spectant, at saltem in ipso magiæ studio et nimia naturalium rerum indagatione, criminis non omnino esse expertem; nec herbarum, lapidum, piscium, omnis denique naturæ intima, pura mente scrutatum²; quum ipse magiæ vim non semel confiteatur; quum pueri anima innocentis futurum præ sagiri posse non abnuat, Cagliostro nostro præ vius³. Hinc apud suos infamis, multo magis apud christianos⁴. Ob hunc enim præcipue magicarum artium amorem, Apuleium patres horruere; hinc diris devovere. Nec

sina exstat oratio, qua crimen artium magicarum a se alienum esse defendit. (D. AUGUST., *de Civit. Dei*, lib. VIII, c. 19.)

1. Non est grande facere signa, fecit et ipse Apuleius. (HIERONYM., *in Psalm. LXXXI.*) — Apollonium siquidem nobis et Apuleium, aliosque magicæ artis homines in medium proferunt, quorum majora contendunt exstitisse miracula. (MARCELL., *ad D. August.*) Cf. D. AUGUST., *ad Marcellin. epist. v.*

2. De piscibus aliisque animalibus scripserat; quæ opera ad nos usque non pervenerunt. — Vid. PRISCIAN., lib. VI; MARCELL., *de Medicamentis epist. ad filium*; D. AUGUST., *de Civit. Dei*, lib. XII, c. 18.

3. Posse animum humanum, præsertim puerilem et simplicem, seu carminum avocamento, sive odorum delinimento, soporari, et paulisper remota corporis memoria, veluti quodam sopore, futura rerum præ sagire. — Cf. APULEII *Apologia*, t. IV, p. 107 *opærum*, ed. C.-L.-F. Panckoucke.

4. Apuleium ceterosque artium magicarum peritissimos conferre Christo, vel etiam præferre conantur. (D. AUGUST., *ad Marcellin. epist. v.*)

immerito; si quid emin dubio esse non possit, quin hæ malæ Apuleii artes plurimum, apud vulgus, et diu, in christianam valuerint religionem, africa potissimum tellure, quum longo post tempore Madaurenses Carthaginensesque omnibus paganismi ritibus et vanis deditos superstitionibus inveniamus¹; et, Augustino ipso contradicente, veteres adversus Christi fidem et rebelles animos deponere non paratos².

XVIII.

Quum tot et tam diversas, ne dicam contrarias, partes sustinuerit Apuleius, minime mirum, si diversam quoque ingenii et morum famam habuerit; hinc Tyanei Apollonii hæres, vitiis deformatus; inde, si ipsi credas, insignis virtute philosophus, qui sapientiam non in philosophorum scholis tantum, sed et in templorum adytis rimaretur³; christianis inimicus et invisus, apud suos etiam male audiens; virtutis laudator eximius; paupertatis jactator, captator tamen testamentorum viduarumque; uno denique verbo, mira et singulari indole vir, thaumaturgo propior quam philosopho,

1. AUGUST., *Epist. ad Nectarium* 11.

2. AUGUST., *Epist. ad Maximum, ad Longinianum*.

3. Hominem tot mysteriis deum conscium. (*Apologia*, p. 140.)

Jamblicho, quam Platoni; tria, ut ita dicam, philosophi, theologi, pontificis ora præ se ferens; ad philosophiæ nihilominus cognitionem et habitus animorum, qui sub secundi seculi fine invaluerant, ediscenda perutilis, quum solus, latinos inter scriptores, adulteratam licet, Platonis doctrinam, gentilium sacrorum reverentiam, et acerrimam illam, quæ cum christianismo paganis interceserat, pugnam referat et repræsentet.

QUÆSTIONES.

I. Quis fuerit, exeunte secundo seculo, philosophiæ status?

II. Apuleii ingenium : quatenus sit Platonicus?

III. Apuleii de Dæmonibus doctrina.

IV. An, in Metamorphoseon libris, mystica contineatur doctrina

V. Quid sibi in undecimo libro proposuerit Apuleius?

VI. Quid de occulta mysteriorum doctrina sit existimandum?

VII. De theologica Apuleii doctrina.

VIII. Apuleius magicus, et christianorum hostis.

IX. Summa propositionum.

Has theses dilucidare ac tueri conabitur, ad
doctoris gradum promovendus, Joannes-Petrus
CHARPENTIER, in Facultate Litterarum jam licen-
tius.

Vidi ac perlegi,

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona, prid. kal. august. ann. M DCCC XXXIX,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J.-V. LE CLERC.

Typis mandetur,

*Studiorum Inspector, procurandis Academiae
Parisiensis rebus praepositus,*

ROUSSELLE.

